



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Ferrum adamante tyctum voluitur ad septentrionem. Cap. LV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

perate. Cassianus in Geoponicis Græcis. Magnes lapid  
ferrum ad se trahit, rursusque abigit a se, si alio con-  
fricetur, sed vt extincta fere vis reuiuiscat, ac recreetur,  
hircino sanguine proluatur. Rhennius Dionisij  
serpres:

*Quem minime valeat ferrum superare, nec ignis,  
Frangitur hircino maceratus sanguine tantum,  
Sed ipeo, fractis multis incudibus ante,  
Hic iuxta positus magnetem viribus arcet,  
Ocultus raptu ferri, vel tractibus ante  
Admotum inde trahit defendens robore miro.*

Marbodeus de eodem:

*Cuius durities solidissima cedere nescit,  
Ferrum contemnens, nulloq; domabili igne,  
Hæc tamen hircino calefacta cruore fatiscit,  
Incudis damno, percussorumq; labore.*

Quum igitur antipathia sit inter magnetem & adamantem, & eadem inter adamantem & sanguinem hircinum & magnetem sympathia est, ex hoc igitur argumentum deuentum est, vt quum virtus magnetis hebescit, aut adamantis presentia, aut alij fœtore, si hircino sanguine proluatur, vires pristinas & vegetiores recuperare, quæ omnia explorata falsissima sunt; nam nec adamantis ea est durities, quæ prædicatur, cum ferro, & igni etiam modico cedat, nec hircino sanguine mollescit, ac camelino, aut asinino, & gemmarum nostrorum hæc fabulosa, & ridicula habent, nec deperdita magnetis virtus hirci sanguine recuperatur, hæc omnia diximus, vt ostenderemus ex falsis principijs falsas consequentias nasci.

*Ferrum adamante tactum voluitur ad septentrionem. CAP. LV.*

**S**ED hoc verissimum est, quod casu adinuenimus, dum spericlitaremur, an adamantis vires essent, magnetem suo occursum debilitandi, vt diximus; nam si supra adamantem ferream acum adfricauerimus, dein in cymbula, vel paleæ infixum, vel filo suspensum accommodauerimus, illico ad Septentrionem voluitur, vt fere ferrum a magnete contactum, vel aliquantulum languidius.

dius. Imo quod est notatu dignum, obuersa pars, ut magnes ipse, ad Meridiem ferrum abigit, & quum id in quampluribus obelis ferreis experiremur in aquis immisissis, omnes sibi æquidistantes mutuo Aquilonem ostendebant. Quod si, qui magnetem adamantis facie debilitari scripserunt, hæc scripserint, veriora pronunciascent; nam acum adamantis adfricatum, & paleæ infixum, aquis inditum, ut libere verri possit, circumuolutum digito, ubi quieuerit, ad Aquilonem se recipit, vertice suo illud demonstrans.

*Vires, & remedia magnetis.* CAP. LVL.

EX hac magnetis mirabili attrahendi operatione, multa commentati sunt maiores nostri, multaque remedia deduxerunt, quæ non admodum incerte, nec sine ratione notata. Ex vi hæc mirabili in quâ raptice, & allestrice ferri, & magætis, ut se in mutuo rapiant, Veneris ei intellectum tribuerunt; ac alter alterum amore prosequi, nec infans amor discuntitur; nisi alter alterius complexibus frueretur: dein cum terga obuertunt, se odio prosequi, horri, expelli que se in uicem viderent, etiam in eo femina odij contineri. Ex his Marbodeus:

*Conciliare potest vxoribus ipsa maritos,*

*Et vice conuersa nuptas reuocare maritus:*

*Nam qui scire cupit sua num sit adultera coniux,*

*Suppositum capiti lapidis stercentis adaptes.*

*Mox qua casta manet, petit amplexura maritum,*

*Non tamen euigilans, cedit omnis adultera lecto,*

*Tanquam pulsa manu, subito fœtore coacta,*

*Quem lapsu emittit celati criminis index.*

Et ob id maiores ad id inueniendum Venerem sæpius in magnete insculpebant, ac magnetino lapide figurabant. Vnde Claudianus:

*Venerem magnetica gemma figurat.*

Memini præterea plerosque antiquorum dixisse, si magnes tritus fuerit, & super prunas ardentes per domus angulos aspersus, ut fumus in altum euolet, protinus fugient morantes in ea, nam domus corruere videretur, hisq; phantasmatis, territi, relictis omnibus, domo fu-